



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XXXV. In Domin. VI. Post Pentec. Præcepit turbæ discumbere super  
terram. Mar. 8.5. Arg. Mensa adornatur tribus orbibus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO XXXV.

IN DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Præcepit turbæ discumbere super terram, Mar. 8. 5.

ARGUMENTUM.

MENSA ADORNATUR TRIBUS ORBIBUS.

I. **N**on hodiernam duntaxat in Ere-  
mo catervam, vel  
aliam apud S. Jo-  
annem adductâ  
pascit Omnipoten-  
s; sed quotquot

in mundi hujus solitudine peregrinan-  
tur, providentiâ reficit, ac saginat. A.  
Quid enim est mundus hic visibilis  
tanta diversitate alimentorum ador-  
natus, nisi triclinium quodpiam ad  
nos latianos à divina omnipotentia  
instructum? Quid campus ac Prata co-  
piosa herbarum, florum, foliorum pe-  
nu conspicua, quam mappæ, acu pluf-  
quam phrygiâ elaborata? Quid tot  
fructus, segetes, uvæ, tam lapida gustu,  
tam pulchra visu, tam grata olfactus,  
quam epulæ ad delicias usq; condita?  
Quid silvæ, quam vivaria feris anima-  
libus refertissima? Quid lacus, ac ma-  
ria, quam piscium arcæ? Quid montes  
vitibus abundantissimæ, quam cella-  
ria. Et quemadmodum in aliis usuve-  
nit conviviis, ut aliis ferculis alia suc-  
cedant; ita in Universitatis hujus tri-  
clinio ablato cibo uno, alter infertur;  
id est adultis quibusdam fructibus, a-

lii maturefcunt, iisque consumptis  
continuatâ serie, alii atque alii inse-  
quuntur; quibus haud minus miracu-  
lose, quam turba illa in deserto pasci-  
mur. Suppar enim prodigium est ex  
uno grano aristas identidem plures,  
aut grana plura eniti, atq; in manibus  
incrementum accipere. Eiusdem dex-  
teræ excelsi est æquè unum opus, at-  
que aliud, solaque assiduitate illud per-  
viluit.

Ut verò cum benedictione frua-  
mur oblatis, id unum à nobis efflagi-  
tat, ut sanctè, riteque accumbamus.  
Præcepit illis discumbere super terram. Et  
si enim largissime munera sua dispen-  
set Omnipotens; intendit tamen ut  
ea piè sanctèque sumamus. Quod  
qua ratione fieri debeat dum elucido,  
vos ad cibum spiritualem cum fructu  
manducandum orexim exacuite.

NARRATIO AC PARTITIO.

II. Henrico Regi Galliæ (ut me-  
morant Annales inclitæ illius Gen-  
tis) sedenti ad mensam tres orbis ap-  
ponebantur. In uno videbatur Panis,  
adjecto lemmate: *Cibus Ventris*. In al-  
tero

Joan. 6.

Dei provi-  
dentiam in  
ascendit  
dominibus.

Mar. 8.

Annal.  
Gall.

*Cibus tri-  
plex ventris  
mentis &  
cordis.  
Apoph. Her.*

tero Liber cum lemmate: *Cibus mentis*. In tertio Crucifixus, cum lemmate. *Cibus cordis*. In primo intendebat docere, non oculis, aut cupiditati; sed necessitati, ac naturæ serviendum. In altero Colloquiis utilibus ac spiritibus epulas condiendas. In tertio cor inter edendum ad Deum erigendum esse. Optimum profectò, ac salutare consilium, cunctisque observandum, quotquot cum benedictione Domini, donorum ejus participes esse gestiunt.

## S. I.

*Orbis primus apponitur.*

*Cibus ven-  
tris quomo-  
do sumen-  
dus.*

III. **P**rimò enim Cibus ventris ita ligiendus est, ut non cupiditati, sed necessitati; non voluptati, sed naturæ, non consuetudini, sed rationi, non luxui, sed languori consulamus.

Inter alias caremonias & præcepta per Moysen data filiis Israel, erat & illud, ut easdem tubas animarent ante epulum, quibus incendere soliti erant bellum. *Si quando habebitis epulum & dies festos, canetis tuba.* Hic jure indagare quispiam posset, quidnam tubæ faciant ad epulas? vel quidnam mysterii sub hoc involuero supremus legifer innodaverit? An fortè publicanda erat hac ratione solemnitas? Sed hoc fuisset vanitas. An prævidit non saginandos epulis ganeones, nisi interceptæ per ingluviem melodix vicarius tubicen advocaretur? (Neque enim solo jam gutture vorare libet, nisi & auribus liguriatur) sed & hoc fuisset luxus. Num convivarum perinde ad potandum, ac bellandum acuendus erat animus? At nimis prona citra incantationem est naturæ vitiatæ ad ex-

*Tuba cur  
inflata ante  
epulas.*

*Num. 10.  
10.*

cessum malignitas. Num æquè Mars instat in abaco inter obsonia, ac in campo hostes inter & arma? id hercle nemo inficiabitur, quisquis præsentis sæculi luxum justâ lance perpenderit. Nonne enim patinatix illæ cohortes imaginem referunt legionum? Nonne cultri stringuntur in eos, ut acinaces? Nonne fuscinx expediuntur ut pilæ? Nonne cyathi armantur perinde ac fistulæ? Nonne amphoræ ut tormenta? idque non ad ostentationem duntaxat, & plausum; sed verè ad conflictum, & velitationem. An enim unus alterum ad hoc pugnx genus non incendit? An non plures quandoque contra unum hisce telis armantur? An non item gravissimè in hoc certamine alii in capite, alii in jecore, alii in brachiis, alii in pedibus, alii in toto corpore læduntur? Quærite unde dolor in capite; unde suffusio oculorum, unde vertigines? Si veritatem amant, dicent ex hoc congressu. Urgete & scilicet *Ebrietas nocet corpori.* cur sanguinem spuat, cur tabescat in facie, cur hectica laboret? Quid dicet, læsus sum. Quo telo? vitriatio seu Bacchico. Instate adhuc, & expiscemini unde podagra, chyragra, unde tremor totius corporis, unde repentinæ mortes? Tacent. Edic quæso mi amice, ut caveam. Quid mussitas? Eheu non aliunde quam ex naumachia Bacchica, ex prælio navali. Perrarus ille est, qui illæsus ex hoc Marte pedem retulit: Quippe doctore Ecclesiastico; *Ecclesi. 37. In multo escis erit infirmitas, & propter crapulam multi perierunt.* Si computarentur illi, qui in hac acie periere, plures forte ad calculum revocarentur, quàm qui agnato naturæ cursu sublati.

Aureus

Chrysol.  
ser. 41.

Aureus verè Orator Chrysológus rationem metu inijsse visus est, cum scriberet: *Bella gentium legimus superasse quam plurimos, quos tamen pugnas carnis (& gulæ) legimus vicisse; & audivimus eos delicta dedisse pectora; qui dorsa hostibus non dederunt.* Proh dolor! inquit, victores gentium vitiorum fuere captivi, nationum domini turpi servitute mancipati; Inter sævientes gladios steterunt illæsi, inter enervata ebrietatis latrocinia periére confusi; adversas acies contrivere jejuni, & crapulati suarum castra dissolvère virtutum; jacuerunt effuso vino, qui jacere effuso sanguine nescierunt.

Item ani-  
ma.

IV. Et utinam tela hæc ita corpus fauciarerit, ut animæ parcerent. Sed cheu ferocius in illam plerumque quam in corpus sævitur, vitiantem ipsam virore teli animam. Serpit enim contagione quadam, aut cognatione ebrietas, & jam ad libidinem, jam ad vindictam, jam ad alia vitia incendit, quoad demum emortuam in barathrum inferni naufragio nunquam refarciendo demergat. Ea propter præmonet dictator optimus maximus: *Si quando habebitis epulum, canetis tubis.* Ut nimirum inter ferculorum reciprocationes, velitationesque calicium strenuè adversum gastrimargiam, crapulamve decertetis; nec jam pro aris & focis; sed contra aras panibus propositionis, ac facierum refertas, focosque fumantes configatis; ut memineritis mortem per iagluviem illatam; ut non cupiditati, sed necessitati serviat; ut & corpori, animæque consultis.

Deus parè  
nos nutrit.

V. Hoc ipsum nobis præsentem mi-

raculo inculcare voluit Dominus, quando amandatis omnibus gulæ irritamentis. solo pane, eoque hordeaceo, frustilloque piscium eos refecit. Profectò haud arduum fuerat, quidpià obsonii apponere, aut assas de cælo columbas advocare, aut coturnicum agmina immittere; attamen ut temperantiæ virtutem commendatum iret, nec tam gulæ, quam temperantiæ serviendum esse edoceret, frugalissimâ suos convivæ mensâ excepit. Hoc eodem orbe, seu temperantiæ virtute insignes exitère vel ipsi Ethnici, inter quos bene multi solo pane, & lymphâ, aut crudis radicibus vitam tolerarunt. Ego ut meos Auditores ad talem severitatem non adigo, ita exopto ut utantur alimentis & poculis, non ad ingurgitationem ventris, sed ad reparationem virtutis; ut serviant dominæ, non tyranno; necessitati non voluptati.

## §. II.

### *Orbis alter apponitur.*

VI. **A**lterum orbem infero cum titulo: *Cibus mentis.* Quis vero iste? non alius, quam de quo Assertor noster: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* Vivit pane, & aliis oleribus ac fructibus corpus; vivit verbo Dei, piisque colloquiis animus. Qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum; talis est anima, quæ non pascitur verbo Dei. Quâ ratione caro fame enervatur, & arescit; eadem, anima verbo Dei destituta, languescit, & inhabilis ad strenuè fortiterque incedendum efficitur.

*Cibus mens  
tis suman-  
dus cum ci-  
bo ventris.  
March. 4. 4.*

cur. Si omnis cibus subtrahatur corpori, & animæ, æquè hæc, atque illud emoritur. *Non enim in solo pane vivit homo, &c.*

Noto ego quempiam sacra synaxi quavis prope hebdomade refici, & laudo comproboque, sed quod illicò, velut Judas alter à mensa sacra surgat, & extra templum se proripiat, laudare, probareque haud possum. *Quia non in solo pane (coque Eucharistico) vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.*

Credo ego supernos Indigetes in summa beaute vitam ducere, nec tamen cadaveribus hisce, aut quisquiliis terræ vesci; sed aspectu, & verbo Dei; Infero itaque, anima quæ non vescitur verbo Dei, aut emoritur, aut angelica non est. *Non enim in solo pane, &c.*

VII. Hoc cibo pascæ in eremo turbæ, nullius alterius esculi desiderio flagrabant, redundante ex cibi spiritualis fortitudine, etiam in corpus vigore. Hoc eodem saginati inter edendū plures alii, omnis alterius appositi edulii obliviscebantur. Nec unquam Dominum exaturasse turbam corporalibus dapibus legimus, quin prius spirituales apposuisset. Et si profundius hunc accumbendi ritum scrutati fuerimus, ipsis Ethnicis familiarem fuisse deprehendemus.

*Dan. 5. 1.*  
2.

VIII. Balthasar Rex (referente Daniele Propheta) fecit grande convivium optimatibus suis mille, & unusquisque secundum suam bibebat etatem. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus, de templo quod fuit in Jerusalem, ut biberet in eis Rex, &

*optimates ejus, uxoresque ejus, & concubina. Quid hic ad omnem licentiam, furoremque deerat? Fumabant patinæ, coronabantur calices, Ceres undabat, exundabat Bromius, Venus furebat, lyris, tibiisque Cupido incitabatur. Quid egisse arbitramini convivas, in ea alluvione voluptatis, triumphoque procacitæ? Quis non eos in tanta pellicum caterva, ad propudiosa quavis prolapsos crederet? Magnum incendii pabulum est viro, jejuna quoque abstemiaque fœmina. Quid si bibax, suæ pronubos lasciviæ induxerit crapulam, & luxum. Quis non sequestro omni alio Numine soli litasse Voluptatē illos sibi persuaderet? Vix enim inter Cereris Bacchique solentia aliud Numen, præter Venerem colitur, nec inter gratissimos frugis odores, aut sapes, alia acerra præterquam ventris incenditur. Nihilominus, quod fronti Christianæ ruborem inducit, & animum in admirationem rapit, Babylonii hellæones inter tantam ciborum potusque ac meretricum colluviem, idolorum suorum memores eadem putatitia sua Numina devenerabantur. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Nullam de mulierum mollitiæ, aut pulchritudine mentionem fecisse perhibentur. Non disputabant de fœminarum ciliis, cirrisque, aut num passi, an adstricti crines procis plus in fœmina arderent; aut quænam forent oculorum acriora tela, glaucine, an verò subnigri. Non denique perruptis modestiæ repagulis differere præsumebant de quovis petulantiaæ usû, abusuque lasciviæ, quæ*

*Ethnicorum religio in istis epulis*

*Ibid. v. 4.*

quæ materies esse solet, Cerere plus solito affluente, & Baccho incalescente, *Bibebant vinum, &c.*

Quos venerabantur ementita religione Penates, eosdem nec abesse à mensa sua, nec deesse confabulationibus pariebantur. Et nos præ pudor pudet sæpe meminisse Numinis in festivore dapum apparatu! Desipiunt cuncta, si vel modicè alloquiis spiritualibus epulæ condiantur, & sistitur torrens voluptatis, si verbo pio, ac religioso incantetur. Vincitur vera pietas, à falsa & fulminara natione ac religione. Illi pellices inter, de diis suis fermocinabantur, nos inter sacra de Nymphis, aliisque dehonestamentis philosophamur. Illi Numen suum devenerabantur inter pellices; nos profcindimus inter Levitas. In illorum vino religio enatabat, in nostro sæpius mergitur; & libido velificat. Calix Assyriorum cælum spirabat, Christianorum identidem cœnum redolet. Quæ enim in cyatho apud nos non natat obscænitatis? Quo in calice non naufragatur pudicitia? Quo in abaco non commendatur procacia; & incessitur continentia? Quo in convivio non despuitur integritas, & libido coronatur? profectò si nostras cum Babylonicis mensis componamus epulas, Deorum illic fuisse epulum dicemus, nostra verò convivia aut Faunorum, aut Furiarum esse fatebimur. Totà continenter mensa de diis differebant Assyrii, nostris nõ sine stomacho sermones de Deo avertantibus.

Discamus tandem vel ab Ethnicis religionem quam, à Christi, & Apostolorum ejus ore recipere hæcenus su-

mus dedignati. Discamus inquam ab iis, & vel ex iconibus ipsis crateribus inaratis; vel parieti affixis, vel emblematis iuculis, vel aliunde occasionem sumamus; aut quæstionis aut interpretationis, aut præ narrationis; vel minimum honestà, & rectà intentione adducamus. Ita enim fiet ut cum asinum pascimus, Dominum jejunum haud sinamus. Ita fiet ut & præsentis ædificemus, & dapes cum benedictione Dei sumamus.

## §. III.

*Orbis tertius affertur.*

IX. **T**ertius orbis lemma præferat: *Cibus cordis*. Hic verò non est alter, quam pium quodpiam suspirium; quam brevis elevatio cordis inter edendum ad Deum; quam reflexio ad fontem summæ bonitatis ac misericordiæ, unde promanant; quam debita pro acceptis donis gratiarum actio. Turpe sit homini Christiano pecudum ritu helluari, à cælo in lances averso demersoque vultu; nec divinitatis, nec mortalitatis, aut honestatis esse memorem. Turpe sit ciborum illecebrâ, perinde ac charybdi quapiam absorberi penitus, & abripi in profundum voluptatis. Turpe eam quam hominibus secundum epulas habemus gratiam, Deo largitori omnium denegare; & hospiti effusè prolixèque assentari cœnulam extemporaneam struenti; Domino autem annonam indies liberalissimè subministranti non litare. *Absurdum sit (loquor & ingemito cum aurei oris doctore,) si cum famuli nostri (quando partem eorum aliquam,*

Uu 2

qua

*Christiano-  
rum proca-  
cia in epu-  
lis.*

*Cibus cor-  
dis.*

Chrysof.  
tom. 1. h. 2.  
de fide An-  
na

Miphibo-  
seth grati-  
tudo erga  
David.

2. Reg. 9. 8.

qua nobis apposta sunt accipiunt ) nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant; nos cum tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvere.

X. Pudet me profectò nostræ ingrati- tudinis erga summam Majesta- tem, quoties Miphiboseth menti meæ incurrit. Hic evocatus à Davide, blan- deque acceptus ob conjunctionem parentis sui cum illo; communem sibi deinceps cum rege fore mensam cum accepisset, sic obtorpuit, stupuitque, ut in eas ad Davidem voces eruperit:

Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem me? Ionathæ is filius fuerat, non ab inpa- libus in regiam, sed à Saulis regia in Davidis aulam adscitus, & basilicis pa- tinis adhibitus. Si ergo tanti princi- pis filius, ad oblatam non tam generi, quam armigeri mensam admovendu, pro iis, quas necdum libaverat dapt- bus eas largitori gratias habet, qua- ratione nos piget, non ore tantum sed auribus, sed oculis, sed naribus saturo- rum oppletosque voluptatibus Deo no- stro assurgere, cursumque Mœcenati affluentissimo, vel semel labiis perlita- re? Toties nobis mensa sternitur, toties accumbimus, & Deo nostro, non ad- sternimur, non supplicamus non cani- mus, non animo, menteque grates re- pendimus.

Addamus nos tot flagitiorum reos, obnoxios esse sulphuri non falerno. Debebamus in Avernum detrusi iræ calicem exorbere, dum gemmâ bibi- mus, & Ambrosiam liquoribus. Suc- cesserê Numinis beneficio vulturibus ficedula, has conficimus, non ab illis conficimur. Non discerpimur à dra-

conibus, sed palumbem concerpi- mus. Murenæ anguibus sunt suffecta, & prunæ in pruna regelata. Epula- mur, non urimur; nec ollæ immergi- mur Aquilonari, sed medicata ab Eli- sæo ollulâ recreamur. Et tam diris ex- emptum cruciatibus, & tantis illece- bris pastum piget secundum patinas os in cœlum obvertere, & Divinitati carmen rependere.

XI. Pudet me multorum quoties subit Daniel vates. Hic solius reus pietatis, & religionis in cavea leonum damnatus capitis jacebat, ingemise- batque. Stipabatur belluis princeps Satraparum, & momentum præstola- batur, quo una sui visceratione iratiùs sese, subductis ovibus, feræ cruenta- rent. Hæc inter demittitur pendulus è crine Habacuc ad Daniele, porre- cturus ollulam secundarii panis far- tam segmentis; dignam scilicet, para- tamque messoribus pulstem. Et clama- vit Habacuc dicens: Daniel tolle pran- dium, quod misit tibi Deus. Ad has mu- nificas quidem voces, sed agrestes, & vulgares dapes, quid egisse putatis vatem? Illud sibi alius eo pro- digio putasset, nec vi superum ad se Habacuc accessisse, sed carminis maleficio violentiæque Magiæ ob- reptum in caveam censuisset. Mihi, dicere potuit, viro regii stemmatis ac sanguinis, mihi pro legibus tradu- cto, mihi ad bestias damnato, hæc sub- mittuntur lautæ & quas tute faxeis mes- soribus illis struxeras? Ganæ ante- cessorum meorum famulabatur Affri- cus; cœlum in transgressores grandia- bat coturnicibus, manna illis sube- gere cœlites, mihi non nisi intriti panis alveo-

Danielis  
propulmen-  
to accepto  
gratitudo.

Dan. 14.  
5.

alveo-

alveolus obruditur. In domo sagæ pascuali vitulo Saul recreatur, & moriturus, & sacrilegus; me damnatum ad bestias offa misera proritabit potius, quam famem sedabit. Elias pedicis caruit, nec cum leonibus, vel unam transduxit horam, & tamen placentis à Sareptana, esculentis ab alite pascebatur. Me pauperius frigidiusve nutrit vates monstris obiectum, quam plerosque otiantes inter luscinijs, & myrtos enutrierint corvi. Quid juvat adire discrimen capitis pro cælo, si emenso ærumnarum stadio, polentâ principes confovemur, quâ messorum vescuntur? Præstabit à leone vorari quam tam fordidam exorbere patinam.

Hæc aliave bilis, tædiive plena Daniel vomere potuisset; verum ille ad rores eliquavit rosaccoos, affuditque puli cor plenum gratiarum, votorumque. *Et ait Daniel: Recordatus es enim mei Deus, & non dereliquisti quærenteste.* Prius ora in Deum gratissima demissione, quam in dapes resolvit. Et epulorum, & hospitis immemor, uni sese Numini impendit; orat, subsilit, gratulatur, stupet, tanto se dignum congiario. *Recordatus es mei Deus.* Exigite quid de se Vates sentiret, quas Numini grates rependeret, si apri caretur in villa; quem Dei sui non cepit oblivio in lacu leonum. Annon exaggeratiores gratiarum hostias litasset in flore, qui se è providentiæ albo non expunctum miratur in carcere? An non inter mella amplius cor suum effunderet, qui mutriam tantâ alacritate suscepit. *Recordatus es mei Deus.* Ad ollam ille obstupuit, cum nos homunciones, concharum aviumque distenti crapulâ, &

infarta bestiis terræ alvo, vix ad gratias agendas assurgamus, aut certè non nisi in similitudinem fulguris coruscantis absolvamus. Et abunde superis satisfactum arbitrabimur, si fortè buccam mystaceisq; in formâ crucis detestimus, proq; ingentibus nominib' levilunati capitis censum deposuerimus.

XII. Pudet, ah pudet me horum aliorumque similium, quoties itidem Eremicolarum veterum recordor. Hos authore S. Chryostomo accepimus solitos fuisse profusissimas Numini gratias persolvere, decursis illius non penuariis duntaxat, sed quibusvis alijs beneficijs. Et quæ illa tum quæscœna erat, cui sese impares referendo gratias viti prosapiâ, opibusque incliti, & in voluptatibus olim enutriti profitebantur? Vulgaris panis frustulum, idque surfureum, & mucidum, cœnam illorum definiebat, addito forte nasturtio, & sale. Perraro instillabatur oleribus oleum, sed sapiasculè cinis calamitosæ patinæ aspergebatur. Mella tanquam toxica vitabant; mulla ut aconita damnabant. Nunquam aliud præter meracam è fonte undam testaceis cotylis affundebatur. Vitri enim nec nomen, nec memoria inter eos extabant, nisi cum litarent in altari. Stupebant arbores nulli se penitus Sylvicolarum germinare, nesciebantque an Adæ posterii forent, qui sese ab omni ligno paradisi tam rigidè continerent. Quævis enim arbor, ceu interdita scientiæ planta, ab illis putabatur, ex qua si quis pomum decerpendum sualisset, illico velut anguis supplantator eliminabatur è silva. Ita cum non tam convivium, quam supplicium

*Remid-  
rum vete-  
rum gratia  
mens post  
mensam.  
& eorum  
abstinentia.*

naturæ haberi poterat, illa Anachoretarum mensa, cum ita suis cænilis excruciantur, ita cunctis destituerentur deliciis, diurnas gratiarum hostias Numini litabant.

Vix quadrantem horæ mensæ affe-  
debant, & vix humo post horam ab  
hymnis assurgebant, perinde ac si am-  
brociam ebibissent, vorassentque aut  
Cleopatræ uniones, aut scauros Ta-  
rentinos.

Nos eheu minores referemus pro  
melle gratias, quam illi in Eremo ha-  
buerint pro cinere? Nosne silebimus  
pasti in Apolline, cum alii betâ, aut  
portulacâ comestâ cælestes genios  
cantando æmulentur? Nos non as-  
furgemus in cælum, quos aves exple-  
vère, cum ii in Deum evolent, quos ra-  
dix amara satiaverat? Cruciatu ama-  
rore germinum Deo psallit Eremi e-  
pulo, & conchis melleque conviva re-  
creatus conticescet. Poterimus tacere  
iuter volucres, & inter alaudas non  
canere, saltem immugiamus pascua-  
li vitulo saginati.

XIII. Judæi ipsi pro pudor! non  
illi duntaxat electi, sed & recentiores  
fulminati, in conviviis suis proluxa u-  
rantur benedictione, & quoties quid-  
piam novi aut lauti affertur, peculia-  
rem adhibent benedictionem, dicen-  
tes: *Benedictus sis Domine Deus Creator,*  
*qui bonus es & benefacis omnibus, qui*  
*creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata,*  
*hos fructus, &c.* Vah! & nos insensibi-  
liores erimus, magisque ingrati, qui  
amplius amati a Domino? Plusne ab-  
undabit justitia Pharisaorum quam  
Christianorum?

Rituale le-  
daorum.

Absit, absit, haud mihi persuadeo:  
Curabitis confido omnes ejusmodi  
orbes non ligneos, aut stanneos, ar-  
genteosve, sed morales & spirituales.  
Inscribetis primo *Cibus ventris*, non  
voluptatis: Alteri *Cibus mentis*, non tan-  
tum carnis: Tertio *Cibus cordis* & gra-  
tiarum. Ita fiet, ut & dapes vestras in  
hac vita divina Majestas benedi-  
cat; & in altera torrente vo-  
luptatis suæ inebriet.

Fiat.



CON-